

tem commodius, prope diem multo his integriora in lucem proditura esse. Vale. E Collegio D. Gregorii Pinciani, Idibus Martiis. A. 1532.

F. LUDOVICI GRANATENSIS
epistola ad lectorem, præmissa operi Illustrissimi
F. Bartholomæi a Martyribus, cui titulus: *Compendium doctrinæ spiritualis*, edita pag. 113.
Tom. I. hujus operum, Romæ 1734. fol. II. vol.

Fr. Ludovicus Granatensis candido lectori.

Philosophi olim, qui se humanæ vitæ magistros profitebantur, nulla in re majori studio elaborarunt, quam ut intelligerent, qua in re felicitas & ultimus finis, hoc est, summum hominis bonum, situm esset. Intelligebant enim, ignorato fine, nihil in vita constitui recte posse. Eo autem explorato, facile esse homini, actiones suas omnes ad eum finem, tamquam ad scopum, dirigere. Quantum autem in hujus rei inquisitione alucinati fuerint, quum de futuræ vitæ beatitudine nihil nossent; non est nostrum, hoc in loco disputare. Nos tamen, cælesti magisterio instituti, duplicem beatitudinem agnoscimus; alteram quidem perfectam, quæ piis hominibus in futuro a Deo proposita est; alteram inchoatam, qua perfecti viri in hac vita fruuntur: quam, ut breviter definiam, in sapientiæ possessione collocamus, ad quam cetera Spiritus sancti dona ordinantur: cujus actio est, divinarum rerum contemplatio, in qua etiam Aristoteles summum hominis bonum & felicitatem posuit. Ut autem intelligamus, quam ingens sit hujus sapientiæ thesaurus, quantaque ejus dignitas & utilitas, satis esse nobis ad hoc debet magnificum illud sapientiæ elogium, in quo summus ille vir, spiritu Dei afflatus, omnibus hujus vitæ rebus, quamlibet maximis & pretiosis, sapientiam antefert his verbis:
„ opta-

„ (a) optavi, & datus est mihi sensus: invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Et præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua; & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi eam, &c. In quibus verbis vir ille sapientissimus, commemoratis omnibus, quæ in summo pretio apud homines habentur, sapientiam illis omnibus longe præfert. Nec his contentus, eam bonorum omnium matrem esse confirmat, & (b) bona omnia sibi cum illa obvenisse testatur. Denique Salomon consona voce: (c) *melior est, inquit, sapientia cunctis pretiosissimis: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Quis igitur his tantis divini Spiritus testimoniis non summum quoddam & præstantissimum bonum in hac sapientia positum esse intelligat, etiamsi ejus suavitatem atque delicias nondum fuerit expertus? Similia his legimus Job XXVIII. & Baruch III. quæ brevitate causa omittenda duxi, quum in promptu & ad manus ea sint. Spiritus enim sanctus, ubique sui similis, eadem & in his & in aliis Scripturarum locis de Sapientiæ dignitate prædicat, cujus actionem & officium rerum divinarum contemplationem esse diximus. Qualis autem sit eorum felicitas, qui se huic officio dediderunt, eleganter D. Gregorius Theologus in Apologetico suo describit, quum docet, se, cælestis hujus Philosophiæ amore incensum, quæ otio & quiete alitur, pastoralis officii curas & sollicitudines vitare voluisse. Ejus verba, quæ dignissima sunt quæ legantur, hoc in loco attexere volui.
„ (d) Subivat, inquit, animum meum amor quidam tranquillæ vitæ, atque ab hominum frequentia semotæ, quam quum jam inde a primis annis adamassem, factoque periculo vehementius ejus amore atque desiderio flagrarem; non tuli me impetiose cogi, atque in medios tumultus contrudi, ab hacque vita perinde atque ab asylo quodam per vim avelli. Nihil enim mihi fortunatius eo homine esse videbatur, qui clausis
„ com-

(a) Sap. cap. VII. a v. 7. ad 10.

(b) Sap. cap. VII. v. 11.

(c) Prov. cap. VIII. v. 11.

(d) Apolog. sub init. et si paullo aliter in Edit. G. L. Paris. 1609. tom. I. pag. 4.

„ compressis que corporis sensibus , atque extra carnem mun-
 „ dumque positus , in seque collectus , nec nisi summa neces-
 „ sitate impellente , quidquam humanarum rerum attingens , at-
 „ que & secum in se , & cum Deo colloquens , superiorem re-
 „ bus in adsp̄ctum cadentibus vitam agit , divinasque species
 „ & imagines puras semper , nec ullis terrenis & errabundis
 „ formis permixtas , in se ipso confert , ac Dei , rerumque divi-
 „ narum purum omnino speculum est , in diesque efficitur , lu-
 „ cique lucem , obscuriori videlicet clariorem , adjungit , ac
 „ jam futuri ævi bono fruitur , & cum angelis versatur ; & li-
 „ cet adhuc in terris agens , terram deserit , atque a spiritu in
 „ cælo collocatur . Si quis vestrum hoc amore correptus tene-
 „ tur , quid dicam , intelligit ; atque affectui ei , in quem tum
 „ incidi , facile ignoscet . „ Hæc omnia vir hic divinus . Quæ
 „ quidem satis esse debent , ut hujus studii dignitatem atque de-
 „ licias agnoscamus , & felicitatem eorum , qui vitam omnem at-
 „ que se ipsos huic studio consecrarunt , intelligamus . Simili spi-
 „ ritu D. Augustinus & huic studio addictus erat , & felicitatem
 „ eorum , qui simili desiderio flagrant , describit . Sic enim cum
 „ Deo loquitur : „ Te mediter per dies sine cessatione , te sentiam
 „ per soporem in nocte , te alloquatur spiritus meus , tecum fa-
 „ buletur mens mea . Felices qui nihil aliud diligunt , nihil
 „ quærunt , nihil etiam cogitare didicerunt . Felices quorum
 „ spes tu solus es , & omne opus eorum oratio . „ Hactenus ille .

Hæc de opere . Nunc de operis auctore , quo uberiorem
 fructum ex hujus operis lectione capiamus , pauca dicenda sunt ,
 & ea solum , quæ ad hoc institutum pertinent . Nam de vita e-
 jus , & pastoralis officii administratione , posteris , qui ejus fa-
 miliaritate usi sunt , scribendi cura & facultas erit . Nos enim ,
 ejus præcepti memores , quo neminem in vita laudare mone-
 mur , ab hoc officio supersedemus . Hujus itaque operis auctor
 fuit Reverendissimus archi-episcopus Bracharensis & primas , ex
 D. Dominici grege ad hac dignitatem assumtus : qui , prius
 quam ad hoc munus cooptaretur , XX. fere annis in nobilissi-
 mo cœnobio Victorienſi S. Theologiæ cathedram cum maxima
 sua laude moderatus est , & in ea merissimo jure magisterii ho-
 nore laureatus . Quamvis autem Scholasticæ Theologiæ studia præ-

præcipue coleret ; numquam tamen hoc ipso tempore mysticæ
 Theologiæ , quam is carissimam habebat , studia intermisit ,
 auctorum libros , qui de ea diligentius scripserunt , assidue evol-
 vens , & præcipuas eorum sententias carpens , scriptoque con-
 signans , ut frequenti earum lectione , & in Dei amore , & virtu-
 tutum studio , quotidie proficeret . Quum ergo his rationibus bo-
 nus Christi odor effectus esset , serenissima & sanctissima regina
 D. Catharina , quæ in demortui viri loco Lusitaniæ regnum mo-
 derabatur , hujus boni odoris virtute permota , ipsum Bracha-
 rensis ecclesiæ in pastorem præficiendum curavit . Quod ille mu-
 nus ex majorum suorum imperio ecclesiastica censura adactus
 recusare non potuit , alias nulla ratione subiturus . Qui quum ,
 adstantibus omnibus cœnobii Olisiponensis fratribus , præcepto
 paruisset , hoc de se testatus est : ego , inquit , hoc nomine a mul-
 tis accusor , quod nimium propositi mei tenax sim . In hac au-
 tem una re coram vobis profiteor , me tenacem futurum , quod
 ab omni fastu & splendore domus & familiæ alienissimus ero ,
 eamque humilitatem in cultu corporis , in mensa , ceterisque si-
 milibus , quam monachus sectatus sum , in episcopatu retentu-
 rum : nec me ulla vis aut ratio ab hac mente & consilio um-
 quam revocabit . Hoc quidem ille pollicitus est : quod quam
 plene ad hunc usque diem præstiterit , tota Lusitania testis est .
 Parcissima enim mensa , & exigua suppellectili & familia con-
 tentus , quæ sibi ademit , nec in consanguineos , nec in famu-
 los , aut aliqua ei necessitudine conjunctos , non denique in pa-
 latis ornandis & ampliandis , sed in miseris pauperum suble-
 vandis , & adolescentibus in litteris & moribus instituendis , im-
 pendit . Ad quod plenius præstandum , collegium ibidem ex pa-
 tribus Soc. Jesu extulit , qui hanc docendi provinciam suscipe-
 rent . In insigni etiam & numeroso populo Vianæ monasterium
 D. Dominici , hoc est , instituti sui , similiter a fundamentis ere-
 xit atque dotavit . Is igitur , inter varias pastoralis officii curas ,
 numquam Rachelis suæ amplexus deseruit ; sed diem pastoralis
 officii curis , noctem Deo offerebat . Quo tantopere , quidquid
 de mystica Theologia a summis viris , hoc est , Dionysio , Ber-
 nardo , Bonaventura , Gersono , scriptum est , studiose legens ,
 hæc gemmas , super aurum & topazion pretiosas , nobis mini-
 stra-

stravit. Quibus ego legendis tantopere delectatus sum, ut vere affirmare possim, me nihil hactenus in vita legisse, quod aciores piis hominibus stimulos ad hujus caelestis Philosophiæ amorem adderet, majoremque lucem his, qui huic studio dediti sunt, praeferret. Est enim hæc Theologia ut altissima & inaccessa, ita multa habet, quæ magistro egeant, tum in ea experientissimo, tum in Scholastica etiam Theologia doctissimo, ut suis, hoc est, propriis verbis, ea, quæ sentit, enuntiet; qui etiam scopulos omnes, & pericula, quæ hoc itinere gradientibus obtingere solent, detegat & ostendat, qui etiam vitia virtutibus finitima, quod in hac parte evenire solet, aperte declaret. Denique, ut in summa dicam, præcepta omnia, quæ ad hanc divinam Philosophiam necessaria sunt, in hoc brevi volumine studiosus lector se deprehendisse gaudebit: atque eo magis, quo paucissimos hujus altissimæ Philosophiæ magistros inveniet. Stilus autem ipse & ratio dicendi humilis est, ut simplicioribus monachis, qui minus Latinis litteris operam dederunt, planus esset & facilis. Verum enim illud est, quod Græco proverbio dicitur: *Quantumvis rudius dicito, modo clarius.* Et illud item D. Augustini: *Nihil interest, an clavis lignea sit, an aurea, si non minus illa, quam hæc, quæ sunt clausa, aperiri valeat.* Neque vero simplices & litterarum rudes ab hujus altissimæ Theologiæ studio arcendi sunt, modo humiles sint. Lex quippe Domini (a) sapientiam præstat parvulis: & ut Servator noster ait, (b) quæ sapientibus & prudentibus hujus sæculi abscondita sunt, parvulis a caelesti Patre revelantur. Illud postremo dicendum est, quod hunc quidem libellum Reverendissimus antistes, non ut excuderetur & in publicum prodiret, sed sibi uni, descripserat: cujus ego lectione adeo captus fui, ut eo magis connivente, quam volente, typis committendum, & in publicum edendum, curaverim; ut non ille solum, sed pii omnes, atque ii præsertim, qui mysticæ Theologiæ studiis vacant, hujus pretiosissimi thesauri participes efficerentur. Vale.

EPI-

(a) *Psalms. XVIII. v. 8.*| (b) *Matth. cap. XI. v. 25.*

EPISTOLA PRÆMISSA TOM. I. CONCIONUM
Granatensis, editarum, jussu S. Caroli Borromæi,
Mediolani, apud Michaëlem Tinum, an. 1585.

BRESBYTERIS, DIACONIS, CETERISQUE
Mediolanensis ecclesiæ clericis.

Carolus a Basilica Petri presbyter.

INTER alia, quæ ad fidelium salutem recte curandam, uberiorisque fructus, ex populorum pietate capiendos, pertinere, optime & divinitus intelligebat Carolus ille cardinalis, & archiepiscopus noster, sempiterna memoria dignus, prædicationem verbi Dei plurimi semper fecit, in quo tum perpetuam ecclesiæ consuetudinem, tum patrum sententiam & decreta pie sancteque, ut in ceteris omnibus, sequebatur. Tanti ille momenti publicam verbi Dei prædicationem in cura animarum esse judicavit, ut nullis difficultatibus deterreri umquam potuerit, quin ejusmodi exercitationi quotidianam fere operam daret: nam & incredibiles præne labores ad concionum materiam parandam suscepit; & perpetua quadam industria cum iis, quæ in eo genere sentiebat, naturæ impedimentis constanter certare non dubitavit. Quid ille præstiterit, quidque a Domino impetravit; tum illi viderunt, qui assidue concionantem audierunt, dummodo rem pie atque ecclesiastice judicare velint; tum scripta illa demonstrant, quæ ille in eo genere plurima reliquit. Bonis ille maxime favebat concionatoribus, solidamque in eis amabat eloquentiam, a levitate & fūco alienam; clericos assidua cum exercitatione in ea facultate institui volebat; presbyteros ad illius muneris functionem impellebat; episcopos obsecrabat; omnes allaciebat, urgebat. Atque quum, inter ceteras, quæ habentur, conciones P. Fr. Ludovici Granatensis ad ecclesiasticam rationem, spi-

ri-

ritualemque fructum maxime accommodatas videret; iis plurimum utebatur, adhiberique a clero suo valde cupiebat. Fecit ejusmodi desiderium, ut & conciones ipsas Mediolani typis imprimi mandaret; & decreto etiam sanciret, ut qui concionandi munus sustinerent, eas sibi compararent. Idque pie admodum & prudenter: suppeditat enim auctor ille in omni genere, quod in conciones fere cadere possit, locorum copiam; ex quibus, & materiæ ubertate, & scripturarum interpretatione, & pia etiam facillime dicendi ratione, pastores omnes promere facile possint, quod fidelibus sibi commissis ad spirituale pabulum præbeant. Impressionis opus vix perfectum erat, quum optimus antistes ex hac vita migravit. Quod reliquum erat, absolvendum, Seminarii Mediolanensis præfecti, quibus id curæ mandaverat, curarunt; concionesque, judicio tanti viri valde probatas, vobis tradi quamprimum voluerunt; ne diutius ejusmodi subsidio concionandi officium apud vos careret. Accipite hoc quoque munus & beneficium ab amantissimo antistite vestro: & cujus rei causa ille hanc vobis commoditatem quærebat, in ea diligenter elaborate; ut omnibus harum concionum locis bene cognitis, copiaque rerum comparata, concionandi necessarium munus ea ratione præstare possitis, quæ ad animarum salutem quam maxime sit accommodata. Valete in Domino. Dat. Mediolani, Idibus Aprilis, 1585.



IN-

INDEX
CONCIONUM.

- | | |
|---|---|
| IN FESTO B. MATTHÆI apostoli & evangelistæ | <i>intrabitis in regnum calorum.</i> Matth. XVIII. 3. 73. |
| CONCIO PRIMA. | IN FESTO B. HIERONYMI |
| <i>THE. Præteriens Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens sequutus est eum.</i> Matth. IX. 9. 1. | CONCIO UNICA. <i>THE. Præposui sapientiam regnis & sedibus: & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.</i> Sap. VII. 8. 93. |
| CONCIO SECUNDA. | IN FESTO B. P. FRANCISCI |
| <i>THE. Similitudo vultus animalium, facies hominis, & facies leonis, &c.</i> Ezech. I. 10. 19. | CONCIO PRIMA. <i>THE. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, &c.</i> Prov. XXX. 2. 3. 110. Tractatio thematis. 115. |
| IN FESTO B. MICHAELIS archangeli | CONCIO SECUNDA. <i>THE. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, &c.</i> Prov. XXX. 2. 3. 127. |
| CONCIO PRIMA. | CONCIO TERTIA. |
| <i>THE. Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno calorum.</i> Matth. XVIII. 4. 39. | <i>THE. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.</i> Eccli. L. 10. 143. Tractatio thematis. 146. |
| CONCIO SECUNDA. | CONCIO QUARTA. |
| <i>THE. Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei, qui in calis est.</i> Matth. XVIII. 10. 57. | <i>THE. Mirabilis Deus in sanctis suis.</i> |
| CONCIO TERTIA. | |
| <i>THE. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non</i> | |